




# PALAEESTRA LATINA

## S U M M A R I U M

- |   |                 |
|---|-----------------|
| De Cordimariana voce                                    | (MIR)           |
| Miles Hispanus  | (J. A. VELASCO) |
| Molae subterraneae                                      | (VIATOR)        |
| Nova et Vetera: <i>dactylographum. Caligraphi omnes</i> | († JOVÈ)        |
| De Verborum compositione                                | (JIMÉNEZ)       |
| Aenigmatum solutiones                                   | (FR. HILARIUS)  |
| Exercitationes Scholares                                | (PALAESTRICUS)  |
| Per Orbem: De lingua latina<br>in superioribus scholis  | (DR. DUTOIT)    |
| Ampurias  | (ACTUARIUS)     |
| Bibliographia   | (MIR)           |
| Imaginaculæ Claretianæ                                  | (MARCOS)        |
| Mirifica Portenta                                       | (MARCOS)        |



Talleres Castellanas, S. A.

(Casa fundada en 1871)

Escultura Religiosa

Exposición y venta: Vía Layetana, 155 - BARCELONA

## Librería Litúrgica

RAFAEL CASULLERAS. - Vía Layetana, 85. - BARCELONA

Nuevas Ediciones en Latín Impresas en España

## B R E V I A R I U M   R O M A N U M

Cuatro tomos en 18.<sup>º</sup>. En tamaño 10'50 x 16 cént. letra clarísima, a dos tintas, papel indiano. Todos los oficios últimos insertos en su lugar respectivo. Todos los elementos y materiales que entran en la confección de una obra de esta envergadura, papel, tintas, impresión y encuadernación son netamente de fabricación nacional.

Han aparecido dos tomos. Los otros dos saldrán a luz uno en el mes de Marzo, y el último en el mes de Junio de 1941.

**Precios:** Enc. n.<sup>º</sup> 1. En tela negra, rótulos dorados, anagramas gofrados, cintas, registros, cortes amarillos o rojos y estuche: **Pesetas, 150**

Enc. n.<sup>º</sup> 2. En piel chagrin negro, rótulos dorados, anagramas gofrados, cortes dorados, cintas y estuche: **Pesetas: 250**

**NOTA:** Los precios son sin ningún propio. Estos se cargarán aparte. Al indicar la diócesis que pertenece el suscriptor se entenderá que desea el Breviario con los propios de la diócesis que cite. Si no los hubiera publicados se le pondrá solo los propios de España.

**Pida hojas de Muestra y prospectos detallados de la Edición**

**Cum emetis, PALAESTRAM LATINAM nuntiantibus referetis**

[www.culturaclasica.com](http://www.culturaclasica.com)

# PALAEASTRA LATINA

Premium subnotationis annuae, solutione antelata, est 10 pesetarum in Hispania et Lusitania, 12 pes. in America et Philippinis insulis, et 12 pes. in reliquis civitatibus. Premium mittatur oportet ad Administratorem, manuscripta autem ad Moderatorem.

DIRECTIO ET ADMINISTRATIO: LAURIA, 5 - APARTADO, 1042 - BARCELONA

## De Cordimariana voce

### 5. *Cordimariana vox apud alias nationes (sequitur)*

1) **HISPANI.**—Hispanica lingua. eandem secuta est viam ac Latina Nova enim vocabula cudit per ablationem desinentiae in primo elemento et vocalem unionis addendo; alteri membro desinentiam tantum tribuit. Eaque forma non tantum ad struenda composita inservit, quae ad eruditorum campum spectant, sed hic quoque est vulgaris componendi modus; sic habes: *pechi-aberto*, *pechi-blanco*, *ceji-junto*, *peli-rubio/rojo/negro*, *peñini-forme*, *boqui-rubio*, *pati-difuso*, *pati-zambo*, *clarividente*, *capiti-diminuido*, *oji-zaino*, *barbi-lampiño*, *perni-quebrado*, *mani-roto*, *ventrilocuo*... In omnibus his ac similibus desinentia in *i* est velut unionis signum, quam mutuo elementa componentia reciprocantur; eaque terminatio pro omnibus fere grammaticalibus relationibus adhibetur: *galli-pavo*, *carri-coche* (nominat.), *recti-forme*, *cordi-forme* (genit.), *veri-símil* (dat.), *salutí-fero*, *uni-verso* (acusat.), *magn-áximo*, *prim-ordial* (= deest.), et in *col-i-flor*, *pan-i-aguado* (redundat). Non nunquam duplarem habemus formam: *barba-roja* et *barbi-roja*, *primo-génito* et *primi-genio*, *vero-símil* et *viri-símil*; ex quo patet cum in Latino sermone tum in Hispanico haec forma adhiberi in primis ad verborum rectam aptamque auribus euphoniam.<sup>1</sup>

2) **LUSITANI.**—Pro Lusitanis difficultas in vocabulo suscipiendo non appareat ex intima connexione et similitudine cum Hispanica lingua; non tamen ut apud nostrates composita similia abundare videntur; cfr. tamen: *mani-graphia*, *denti-collo*, *denti-corneo*, *denti-rostro*, *corni-cabra*, *corni-cortadera*, *corni-gačo*, similia.

3) **ITALI.**—Praeter composita Latina plurima, similem usurpant compositorum formationem in his: *frutti-vendolo*, *frutti-doro*, *fumi-voro*, *fuggi-fattica*, *clavi-cordio*, *clavi-cembalo*, *ghiri-bizzo*, *giri-gogolo*, *lini-ficio*. Ergo nec *Cordi-marianum respuere posse* videntur.

<sup>1</sup> Compositorum divisiones apud Hispanos, afferre nunc esset locus nisi prolixior heret oratio, eas recolere potest benevolus lector apud MENÉDEZ PIDAL, Manual de gramát. histórica, Madrid, 1934. n.º 48. Et nota in omnibus quae afferuntur compositorum generibus, in 1) *juxtapositis*, in 2) *ellipticis*, in 3) *parasynteticis* inveniuntur vocabula quae in primo membro per i vocalem desinunt; sic: 1) *alti-bajo*, 2) *boqui-rrasgado*, 3) *casqui-muleño*.

4) ANGLI.—Anglica lingua, licet aliam agnoscat originem ac Latinam, tamen plura ex ea et ex Romanicis mutuata est vocabula, eandem structuram habentia: *herbi-ferous*, *herbi-vorous*, *carni-vorous*, *vermi-paraus*, *vermi-fuge* et quamvis nativa voce possent nominari *Cordimarianas* res, tamen ex eo quod juris internationalis facile deveniet vox, et Angli libenter suscipient.

5) CATALAUNICI.—Grammatici et etymologi Catalaunicae linguae compertum perspectumque habent eam ad brevitatem vocabulorum summo opere contendere, eique consulere, et generatim de Latino sermone eam vocis partem, quae secum notionem nominis fert, desumere, desinentiam vero amittere. Monosyllaba in primis immutata manere aut parum deflexa, sic: *sal*, *sol*, *os*, *fel*, *pau*, *creu*, *art*, *cor*. Vocabula autem Catalaunica cum in compositionem veniunt eandem amant brevitatem et fere tantum juxtaponuntur; sicque habes juxtapositiones seu compositiones:

- α) Nomen + verbum: *cor-gelar*, *cor-fondre*, *cap-ficar*, *cara-girar*.
- β) Adjective + verbum: *car-comprar*, *car-vendre*.
- γ) Nomen + adjective. vel adjective. + nomen: *cara-brut*, *cara-rodó*, *cor-dur*, *cor-cuitós*, *cor-près*, *cor-fos*, *cor-secat*, *cor-gelat*, *mig-dia*, *cent-cames*.
- δ) Nomen + nomen: *cap-vespre*, *canya-mel*, *fil-ferro*.
- ε) Adjective. + adjective.: *agre-dolç*, *ben-parlat*.
- ζ) Verbum + nomen: *escura-dents*, *escura-xemeneies*, *escalfa-llits*, *bufa-forats*, *lliga-cama*, *cerca-renyines*.

Ex his quaedam simpliciter adjunguntur quin grammaticae leges et praecepta transgrediantur: *cap-gros*, *cap-i-cua*, *escura-dents*; alia vero elliptica vocari possunt seu aliquam grammaticae legem infringunt aut aliquod orationis elementum eliminant *tren correu* («que porta el correu»), *aigua-moll* (*aigua* est feminini generis, et *moll* masculini).<sup>2</sup>

Si igitur —ut ex his patet— composita apud Catalaunicos tantum juxtaponuntur, apparet difficultas: enascetur enim vocabulum *Cormarià*; at valida prostat ratio, nam composita Catalaunica superius allata unum tantum possessorem habent: *cara-brut* = «qui maculatum vultum habet»; *cor-près* = «qui cor affectibus permotum habet»; dum in notione reddenda (scl. *Cordis et Mariae*) duo possessionis terminos habemus, et subiectio prioris elementi (*Cordis*) erga alium implicitum nisi per quandam hujus flexionem apte significari nequit; quod si membra dumtaxat juxta-ponimus, subiectio erga implicitum substantivum nullatenus innuemus, et tunc locutio v. gr. «home *Cormarià*» significaret «qui cor suum marianum habet seu erga Mariam devotionis plenum», non autem «homo pius in Cor Mariae», —quam notionem reddere optamus.

Quae omnia nos movent atque impellunt ut pro Catalaunicis etiam *Cordimarianam* formam propugnemus, eamque scriptoribus commendemus prius quam *Cormarià* in vulgus propagetur, quod certe reatum sensum minime profert.

<sup>2</sup> Ea omnia afferimus comitorum genera ut liqueat nativa struendi vocabula forma apud Catalaunicos per juxtapositionem fieri. Et quamvis non nulla alia de his compositis notari possint ea praetermittimus. idque tantum lectori significamus, elementa componentia ope lineolae (—) nos dividit hic et aliis locis ut ea facilius dignoscantur. Lineolam solum modo adhiberi licet inter Catalaunicos cum primum elementum per vocalem desinit et alterum per r, s, x, litteras incipit (= *cara-rodó*, *cerca-renyines*).

6) GALLI difficultatem et incommodum aliquod significare videntur in admittenda voce in sermonem patrium. At qualis ista difficultas? Videamus. Nonne habent et Galli —praeter vocabula composita Latina quae in Gallicum transierunt— et alias voces ad disciplinas spectantes quae similem exhibet structuram? Nonne apud eos sunt *melli-fère*, *laëti-fère*, *centri-fuge*, *carni-vore*, *calli-graphie*, *calori-fère*, *pomi-culteur*, *liguli-forme*, *lombri-coûde*, *longui-caule*, *longui(-corne / mètre / rostre / penne)*; et nonne praesertim habent *cordi-forme*? Quid amplius desideramus? Quid deest ut effingere valeamus *cordi-marian*, cum adsint in Gallica lingua et *Cordi* et *marian*? —At, si his non obstantibus, alia quaeritur solutio, haud ita recte nobis admitti videtur *cor-marian*, eo quod esset verbum hybridum; *cor* praeterea gallice significat *cornu* et subjectio quae in *cordi-marian* ostenditur non appetit in *cor-marian*. Quae omnia ut effugere valeamus, quare non effingamus —si *cordimarian* non placet— substantivum (le) *Coeur-Marie*, sicut et ipsi similia habent verba, ut: *long-courier*, *fête-Dieu*, *Cor-Dieu* (*Corpus Dei*), et deinde ex diurno substantivi usu ad adjetivum progredi *Coeur-marien*? Eruditi loquantur...

7) GERMANI generatim tantum *Herzens-Mariä* ut substantivum adhibent, sic: «Die Söhne des Herzens-Mariä»; at adjetivum *herzmarianisch* repugnare non videatur naturae et indoli Germanicae linguae; si qua tamen esset difficultas in eo staret quod hujus novi vocabuli usus usque adhuc desit, nec propagatus fuerit. Adjektivum tamen *herzmarianisch* non eodem modo ac Hispanicum *Cordimariano* usurpare licebit, sed tunc solum modo cum pro genetivo poneretur non loco dativi; ideo dicendum: «Die Andacht zum Herzen Mariä».

## Conclusio

His dum finem imponimus liceat et nobis fratri clarissimi, P. Thomae Echavarria, C. M. F., qui vocis apud nostrates primus fuit auctor, verba desumere: Utinam diutinus ac tenax vocis propositae usus pro variis linguis eam in corpus sermonis vividum immittere valeat, atque hac nova voce *Cordimariana* locupletatae hodiernae linguae semper appareant!...

Haec exarabam Cervariae nonis majis a. MCMXXXVI occasione centenariae commemorationis Confraternitatis Purissimi Cordis Mariae, eaque postea condiscipulo et socio carissimo, Romae degenti, tradidi recognoscenda et confirmanda; quo factum est ut a communi omnium scriptorum ruina haec lucubratio in columnis evanisset.

JOSEPHUS M. MIR, C. M. F.

Barcinone, Kalendis Januariis a. 1941.

# MILES HISPANUS

*Martis assumptis animosus armis  
vir, ferox bello memorique vita  
dignus, est terris merita perenni  
laude canendus.*

*Miles hispanus fidei catervas  
caedit hostiles dominatur orbem  
Caesaris ritu, pelagumque vastum  
classibus implet.*

*Nescius flecti, mediis periclis,  
bella cum Mauris gerit, et tremendus  
saecula per septem, redimita lauro  
tempora gestat.*

*Stringit Europae domitae, subinde  
vi nova, collum gravidum catenis;  
italam gentem, batavam, sicanam  
sub juga mittit;*

*Teutones rufi, Libycique fusci,  
Rhatiaeque acris veteres phalanges  
semper invictae, fugiunt leonem  
territae iberum.*

*CORDUBA, magno duce, sternit ense  
Galliam, et cum ALBA, metuendus hastis  
jura dat Belgis; fidei dolosos  
dissipat hostes.*

*Mox per ignotos liquidos Atlantis  
gurgites vectus trepidis carinis,  
Hesperum versus penitus reposta  
litora quaerit.*

*Praemium audaci, nova terra surgit,  
regna panduntur redimenda Christo,  
messis albescens: Americae opimae  
nomine gliscit.*

*Nunc io! mecum geminate laeti,  
militi hispano cumulanda laus est  
quippe virtutis micuit per alta  
culmina semper.*

*Nam, velut fulvus trifidi minister  
fulminis turbas dominatur alis  
praeditas, palmam stabili vigore  
detinet ipse.*

*Sed quid ulcisci meditatur? Arma  
sumit iratus, «perimarque, clamat,*

*ante quam sontes patriae sacras  
temnere leges!*

*Degener vulgus patrias ruinas  
ambit immanes glomerare, et amens  
igne comburit monumenta patrum,  
templaque vastat.*

*Audit incautus malefida verba  
Caspio plebis pelago propinquae,  
legibus praris agitur sequentum  
signa triquetra.*

*Asserit fastu tumido perisse  
Numinis cultum venerandi; et urbes  
esse vult silvas, pecudumque more  
vivere gentes.*

*Per Deum juro! vitiosa turba  
vindices poenas dabit, et protervus  
hostis externus fugiens phalanges  
noscel iberas!»*

*FRANCUS invictus, columen suorum,  
ducit electas actes, et ipsi  
supplici firmum prece robur addunt  
vota piorum.*

*Euge, dux fortis! patriis potire  
finibus cunctis; dominare terrae  
nobili! extemplo manibus necandos  
erue saevis!*

*O micans astrum radiis coruscis  
discute noctem! Boreale vulgus  
in favillas nunc meditatur orbem  
vertere totum.*

*Sed nihil refert! Tibi sancta virtus  
praestat insignes comites duelli:  
teste Moscardo validoque Mola,  
teste Varela.*

*FRANCE: Te Virgo legit a Columna!  
te legit Custos datus a supremo  
Rege ut hispani populi Patronus:  
arma capesse!*

*Perde damnatas furiis catervas!  
Est Deus tecum, pariterque tecum  
vota sunt orbis! Redimiri perge  
tempora lauris!*

JOSEPH ALOYSIUS VELASCO, S. J.

# MOLAE SUBTERRANAE

NUMIDA. — Utri Deo? manifestabo tibi. Inveni margae fodinam, in qua procumbens permansi, dum sub vesperam me proripui, ut te adirem. Viae tenebriscoxae erant sicut fauces elephanti; jamjam in eo erat, ut ambagibus venirem ad cauponam vinariam angulo palatii tui adjacentem, subito et improviso ex janua splendor lucis personam meam illuminavit et post tergum audivi clamorem horribiliter vociferantem: «Proditor». — erat Valens tribunus. Vix ex cogitare poteris, quantum fecerim saltum. Omnes giraffas carmelopardales patriae meae invito ac provoco, ut faciant saltum mei saltus comparem; cucurri contra cauponae vinariae januam, offendi pede lapidem, cecidi in fossam inter cauponam et sepem, eram... in bracchiis numinis sordium. Erat deus Romanus!

METRANUS. — Phui! Aptus atque idoneus es illi puteo margae. Et tribunus?

NUMIDA. — Ex oculis erat elapsus. Paulisper exspectavi et nunc adsum in tuo palatio. Sordium deus me servavit dignus, cui in Africa aedificem templum. Erit, «inquit Vergilius, erit ille mihi semper deus!» Sed et te medio in atrio tuo aram ei erigere decet; nam sine eo captus et equuleo tortus et coactus essem praenomen et cognomen tuum et artem tuam nobilem ecrocitare.

METRANUS. — (*secum loquitur*) Crocandum, corve stolidel summo mane diei crastini ecrocitasti.

ASCANIUS. — (*introit vini cadum tenens*) Ecce vinum!

NUMIDA. — Tandem! Guttur meum est aridius solitudine arenosa Saharae. Quale est vinum? Falernumne?

ASCANIUS. — Tale nunquam potasti (*voce prolatu*) neque unquam amplius potabis.

NUMIDA. — Ego? Exspecta, dum ero dives. (*ad Metranum*) Ah, nunc venit mihi in mentem quod promisit mihi Saturnius.

METRANUS. — Servus qui eras te adducet ad mare, tradet tibi Saturnii epistulam, quam, cum Tagasten adveneris, dabis Zabuloni, qui Judaeus tibi pecuniam expendet.

NUMIDA. — Magnane, praegrandisne erit illa pecunia?

ASCANIUS. — Tanta, ut tergo tuo camelino onus non possis bajulare.

METRANUS. — Ergo alter alterum intellexit. Negotiis avocor alio. Vale in diem crastinum! (*voce fortiter elata*) Placide quiescas!

NUMIDA. — Cras expergefacie me multo mane! Eho?

METRANUS. — Molliter cubes! (*secum loquitur*) Expergefacere mihi opus erit minime amplius.

ASCANIUS. — (*irridens*) Molliter cubes!

NUMIDA. — Molliter cubetis.

(*Metranus et Ascanius abeunt et claudunt clatos.*)

## SCAENA OCTAVA


Numida (*solutus*)

Tandem sum tutus!... Nemo me quaeret suterraneum!... (*circumspiciens*) Quam taetra est haec mansio, tamen elegantior praetoris carcere... Bibamus! sed antea sacrum libemus prosperitatil Mihi minatus es, domine, pistrina, at Numida ulciscitur grandi faenore (*bibit*). Vinum est generosum! Quantum ardorem! Quantas vires! (*meditatur*) Cras conspiciam mare, proximam navem concendam. Tagasten appellam; adibo dominum... dominum... per deos inferos, quid est ei nomen? Non jam mihi venit in mentem!

A. EREM. VIATOR, S. V. D.  
(*sequetur*)

# Nova et Vetera

## DACTYLOGRAPHUM



- |   |  |
|---|--|
| 1 Vectis spatiatorius                     | 1 Barra de espacios                              |
| 2 Tecla laeva majuscularum                | 2 Tecla izquierda para mayúsculas                |
| 3 Tecla omnium majuscularum               | 3 Tecla: todas mayúsculas                        |
| 4 Indiculus coloris taeniae               | 4 Indicador del color de la cinta                |
| 5 Diverticulum taeniae                    | 5 Desviador de cinta                             |
| 6 Retinaculum marginis laevi              | 6 Retén del margen izquierdo                     |
| 7 Clusare extremum marginis laevi         | 7 Cierre final del margen izquierdo              |
| 8 Vectis laevus labicus                   | 8 Palanca izquierda deslizadora de la carretilla |
| 9 Caput laevum cylindri                   | 9 Cabeza izquierda del rodillo                   |
| 10 Vectis ad vehendum pressorium chartae  | 10 Palanca para levantar el sujetapapel          |
| 11 Vectis ad aperiendum clusare pressorii | 11 Palanca para abrir el cierre del sujetapapel  |
| 12 Vectis solutorius chartae              | 12 Palanca para soltar el papel                  |
| 13 Ductorium chartae                      | 13 Guía-papel lateral                            |

14	Obicula vectis chartae solutorii	14	Sujetador de la palanca para soltar el papel
15	Tornellus (dim. ex torno) aptandi ductorium chartae	15	Tornillo para ajustar el guia-papel núm. 13
16	Indiculus spatiorum	16	Indicador de espacios
17	Directorium scripturae	17	Guia de la escritura
18	Directorium typorum	18	Guia-tipos
19	Pressorium chartae	19	Sujeta-papeles
20	Sustentaculum chartae	20	Repisa del papel
21	Cylindrus	21	Rodillo
22	Mensorium versuum	22	Calibrador de renglones
23	Aptatura stabilis ad distantias varias intra lineas	23	Ajustador permanente para distancias variables entre líneas
24	Caput laevum cylindri	24	Cabeza derecha del rodillo
25	Vectis dexter labicus	25	Palanca derecha deslizadora de la carretilla
26	Manubriolum trochleae taeniae	26	Manivela de la bobina de la cinta
27	Clusare extreum marginis dexterius	27	Cierre final del margen derecho
28	Retinaculum marginis dexterius	28	Retén del margen derecho
29	Scala cylindri	29	Escala del cilindro
30	Taxillum custodienda taeniae	30	Botón de guarda-cinta
31	Vectis spatiatorius interlinearis	31	Palanca espaciadora interlineal
32	Salimargines	32	Saltamárgenes
33	Tecla retroactiva	33	Tecla de retroceso
34	Quinque teclae impetus automatici	34	Cinco teclas de arranque automático
35	Tecla dextera majuscularum	35	Tecla derecha para mayúsculas

## CALIGRAPHI OMNESI

(*Dialogus in schola;*)

(*Scaena Ilerdae agitur in uno ex compitis quo concurrunt Antonius et Johannellus: ille ex conlegio Maristarum procedens, is autem ex schola nationali.*)

JOHANNEI LUS. — (*Incedens secumque obmurmurans magno animi ardore.*)  
Stupendam, mirificam rem! Me litteras putaram male conformaturum in saecula saeculorum neque quicquam altud nisi tortuosos versus esse ducturum, sed cum illa tantilla machina, quae hodie ad scholam est advecta, omnes caligraphos arbitror ridendos. Elegantia! perspicuitas, celeritas! quid tandem plura? Vivat progressus!

ANTONIUS. — Johannelle! Quid agitur?  
JOHAN. — (*Adventum amici non animadvertis.*)

Vivat, vivat dactylographum! vi-vaat!!!

ANT. — At vero amice: sanum es?  
JOHAN. — Euge, mi Antonil Tune hac quantum gaudeo! Ecquo nunc properas?

ANT. — Domum. (*Libros ostendit.*) Ut vides modo ex conlegio sum profectus neque in compitis cum hoc librorum fasce sub axilla versabor.

JOHAN. — Et ipse ex conlegio domum propero; si vis pergemus una, quandoquidem aedes vestrae obiter praete-reuntur ad meas properanti.

ANT. — Libentissime. Attamen. Johannelle, nondum mihi es elocutus quid adeo vociferares. Insanus videbare.

JOHAN. — Et sum propemodum piae laetitia.

ANT.—Adeo virides meritus es laurus?  
JOHAN.—Utinam ita foret. Sed non agitur de censuris; quindecim enim dies desunt inde ad tentamina.

ANT.—Unde igitur tantum id laetitiae?  
JOHAN.—Dicam, Antoni. Litteras meas tu nosti neque ignoras meam scripturam pulices videri ordine procedentes.

ANT.—Non ita adeo, mi homo.

JOHAN.—Certo: connivebis quantum volles; id autem tibi ajo, me magnopere gavisum esse de dactylographo in scholam hodie allato, quantum vidi, non difficilis tractationis.

ANT.—Atqui nonne tibi id sexcenties dixeram et vel domi meae docere te dactylographo scribere volui? Verum frustra: tu perpetuo mihi illud occentabas: musicen tibi non esse atque dactylographum parvum videri clavichordum.

JOHAN.—Recte dicas.

ANT.—Si vis ipse egomet illa scriptura te initiaabo.

JOHAN.—Benignissime.

ANT.—Jam ad limina domus meae venimus; eamus intro; tibi auctor sum inde te non discessurum quin dactylographo scribere scias.

JOHAN.—Iterum iterumque benignissime, inquam; sed tibi incommodum capies.

ANT.—Nullum incommodum. Mihi jucundissimum fuerit te rem tam planam tamque probatam docere.

JOHAN.—Mihi vero laus haud parva tam industrium habuisse magistrum. Intro ergo eamus.

(*Ingrediuntur domum Antonii atque recta in cellam procedunt ubi pulcrum invenitur dactylographum stigmate «Victoria».*)

ANT.—Incipiamus jam.

JOHAN.—Cum voles.

ANT.—Sede igitur. (*Assidet Johannellus ad dactylographum*). Aperi. (*Operimentum arripit, idque in latus reponit*). Viden? Hi plani taxilli, qui teclae videntur, abecedarii respondent ele-

mentis: duplicem habent unaquaque litteram et majusculam et minusculam. Sunt etiam teclae ad accentus, interrogaciones, numeros, cet.

JOHAN.—Rem mirificam!

ANT.—Ad majusculas depingendas necesse est praeter respondentem litteram, ut deprimas etiam teclam majuscularum laevam.

JOHAN.—Tentemus. (*Pulsat teclas et scribit johannes*).

ANT.—Admodum; sed ubi majuscula?

JOHAN.—Verum dicis: (*Iterum tentat et scribit JOHANNES*).

ANT.—Per quam optime!

JOHAN.—Atqui nomen meum depingere novi. (*Affectat scribere PETRUS sed scribit PATRUUS*).

ANT.—Ha, ha, hael Vide quid posueris; fere PATRUUM. (*Postquam fere ularque risu est diruptus, sequitur Antonius*) Ad id tempus est gummi deletile. Deletur eo littera permutata. Ad hoc aliquatenus retro abeundum hoc vecticulo qui ad laevam est vel deprimendo hanc teclam retroactivam, cum parum est recedendum.

JOHAN.—Et ut verba ad invicem sejungas, quo pacto fit?

ANT.—Res simplicissima. Deprimitur hic verticulus ligneus qui ante dactylographum est.

JOHAN.—Videamus, tentemus iterum. (*Scribit recte JOHANNES, ANTONIUS*).

ANT.—Optime! Vide quam facile!

JOHAN.—Sic sane; *omnia tradente fama majora sunt vero*.

ANT.—Nunc opus est tempore dumtaxat et exercitio. Si vis persequemur.

JOHAN.—Non; nunc fieri nequit. (*Herologium expromit*) Hora duodecima est et apud meos expector fortasse ad prandium. Nisi displiceat hac vespera quicquam etiam temporis in hoc consumemus.

ANT.—Nequaquam displicet.

JOHAN.—Est tibi gratia. Ad seram igitur.

ANT.—Vale, Johannelle.

† EM. JOVÉ, C. M. F.

# De Verborum Compositione

1. Quicumque recte Latinam linguam callere velit, dignoscat primum simplicium verborum definitionem, tum proprium praefixorum atque suffixorum sensum, quorum vi verba per compositionem et derivationem efformantur. Plerumque tamen, quamquam de re agatur praestantissima, praefixorum et suffixorum cognitio nem a magistris parvi habetur. Quare? Incuria? ignorantia? Saepe saepius quia non semper ad manus est praefixorum series seu catalogus, aut si est, non distincte propositus.

Liceat igitur nunc de verborum compositione agere, ordinate et distincte proponendo praefixorum seriem et sensum.

2. Verborum compositio fit dupliciter:

a) Duorum vel plurium simplicium verborum copulatione, uti v. gr. **agri-cola** < agrum + colere = qui agrum colit; **sign-i-fer** < signum + ferre = qui signum fert.

b) Praefixorum simplicibus verbis conjunctione. Quidquid simplicibus nominibus praeponitur ad eorum sensum definiendum praefixi nomen audit. Alia verae praepositiones sunt, ex gr.: **ab-**, **ex-**, **prae-**; alia vero particulae inseparabiles, uti **amb-**, **di-**, **re-**.

3. Habet hic simplicem totius rei conspectum, in quo praefixorum naturam, immutationes phoneticas et proprium eorumdem sensum distincte notabimus. In schemate his litteris utimur: P. A. = praepositio accusativi casus; P. Ab. = praepositio quae ablativo gaudet; P. A. Ab. = praepositio tum accusativi tum ablativi. P. I. = particula inseparabilis.

Praefixorum Conspectus

Praefixa	Natura	Immutationes	Sensus	Exempla
ab	P. Ab.-ab Urbe condita	a ante m, s, v; abs ante c, q, t; au ante f;	separationis, privationis, actionis intentae,	abire, amens, abstinere, auferre, absorbere, aspernere
ad	P. A.-ad unguem	vi assimilationis ante f, g, l, n, p, r, s, t fit compare at, ag, al, an, ap, ar, as, at; ante c vel q fit ac	motus ad, vicinitatis, initii actionis, additionis	adire, aggredior, adesse, alloqui, annuo, admare, appellare, addere, arripere, accedere, assidere, affero < attuli < allatum.
amb	P. I. < ἀμφί	am ante p an ante c, q, f	circum, rei duplicis partis	acquirere ambire, amplecti, anquirere.
ante	P. A.-ante meridiem	anti vi euphoniae	antecessionis	anteferre, anticipare,
bi	P. I.		bis:	bijugis, biga.
circum	P. A. - circum axem vertere	quandoque circu	circum (alreddor); hinc inde	circundare, circuitus;
cis	P. I.-is+ce < isc < cis		ex hac parte, h. e. qua Romam	cismontanus, cispadanus, cispellere.
contra	P. A.-contra naturam		spectares.	contraponere
cum > co	P. Ab. - pater cum filio	com ante b, m, p, ante l, r fit col, cor. con ante ceteras consonas. co ante vocalem, b, gn.	adversus societatis et objectorum conjunctionis; actionis integræ (= del todo); inter aliquos pugnae seu assensionis.	conviva, convenire, convocare, corruere, coegi < cogo, committere, collidere, cohædere, cognoscere.

Praefixa	Natura	Immutationes	Sensus	Exempla
de	P. Ab. - de vita et moribus		motus in profundum, privationis seu actionis contrariae, actionis perfectae,	dejicere, decrescere, demens, dedecus, describere, debellare, devincere.
dis	P. I. - dis < bis sicut bellum < duellum	dir ante <i>emo</i> (imo), <i>babeo</i> (hibeo) di ante <i>f</i> di ante consonas dulces = <i>b, d, g, v, j</i>	partium divisionis et separationis.	descendere, dirimere, differre, digredi, divertere.
ex	P. Ab. - ex abrupto	ex ante vocales litterasque <i>c, p, q, s, t, b</i> , <i>et</i> ante <i>f</i> , <i>e</i> ante ceteras consonas <i>b, d, g, j, l, m, n, r, v</i> .	discensus; privationis; actus perfectionis, curae seu diligentiae.	exire, exceedere; exsanguis, effrenatus; exhaustire, explere, emori; exornare, exquirere; egredi, efferre.
extra	P. A. - canis extra chorus		foras ponere, esse	extramuranus.
intra vel intro	P. A. - intra naturam		intus esse velducere.	intramuranus, introducere.
in	P. I. < εν, εισ	in { im ante <i>m, b, p</i>	negationis.	informis, irritus, illatus, immerito, inesse, ingredi; impugnare, invertere, immerito.
in	P. A. Ab. - Sum in aula. Eo in aulam	il ante <i>l</i>	loci ubi et quo; contra, actionis inversae.	interesse, intellegere, interire, interimere.
inter	P. A. - inter nos	intel ante <i>l</i>	in loco medio esse, destructionis.	juxtaponere
juxta ne	P. A. juxta naturam P. I. - < na, /nei, ni/	ne ante consonas, n' nec { ante vocales neg	apud negationis et privationis.	nescio, nefarius, nemo > (ne homo), nihil, nullus, necopinans, negotium.
ob	P. A. - ob oculos	ante <i>c, f, g, p</i> fit comparate <i>oc, of, eg, op.</i> <i>o</i> ante <i>m</i> <i>obs, os, ob</i> ante <i>t</i> <i>pel</i> ante <i>l</i> <i>pe</i> ante <i>j</i>	coram, ante, in; contra, adversus, circum.	obstare, occurere, obsum, objicere, opprimere, omitto, obstinatus, ostendo, obtinere.
per	P. A. - per fas et nefas		transeundi, permanendi aut penetrandi; actionis perfectae, instrumenti.	percurro, permaneo, perfodere, persona; perfectus, pellucidus, pejerare, perire.
por	P. I. - forte por = pro			porrigo.
post	P. A. - post meridiem		postea	posthabere.
prae	P. Ab. - prae oculis		ante vel ob, praestantiae progressionis = más allá.	praemitto, praeficere, praesum, praeo. praeterire.
praeter	P. A. - praeter natum			
pro	P. Ab. - pro aris et focus	prod ante vocalem [por in porrigo]	progressionis; palam, favoris, dilationis	procedere, progredi; proferre, profiteri; prodesse; protrahere.
prope re	P. A. - prope moenia P. I. -	red ante vocales et ante <i>b</i> .	apud, juxta repetitionis, contra.	propediem referre, redire, reluctare.
se	P. I. - forte = s(in)e	quandoque <i>so</i> ; ante vocales sed.	sine; separationis	seponere, sedatio, socors, sobrius.
semi	P. I.	sem aliquotiens	partis dimidiae	semianimis, semuncia, semesus.

<i>Præfixa</i>	<i>Natura</i>	<i>Immutationes</i>	<i>Sensus</i>	<i>Exempla</i>
<i>sesqui</i>	P. I. - forte ab ἐπι			
<i>sub</i>	P. A. Ab. - nihil sub sole novum; sub furcam ire	suc, suf, sug (sum) sup, (sur) compa- rate ante c, f, g, m, p, r. sus = subs apud priscos	unum et dimidium loci inferioris; actionis occultae	sesquipedales subesse, succendere; subrepere (surrepere), sufficere, submoveare, (summovere) supponere suscitare = (subscitare) suspendo, subter. subterfugio.
<i>subter</i>	P. A. Ab. - subter testudine		sub	
<i>super</i>	P. A. Ab. > ὑπερ super caenam (de sobremesa)		ultra, supra	superstes, supersum superficio.
<i>trans</i>	P. A. - trans mare	tran arte s; quan- doque tra silmul et trans.	in partem adver- sam motus	transire, transcendo, trajicio vel transjicio.
<i>tri</i>	P. I. < tres		rei triplicum	triformis.
<i>ultra</i>	P. A. < ultor. — non plus ultra (mare)		partium ultra	Ultrajectum (Utrecht) caput Batavorum.
<i>ve</i>	P. I. < dvi		negotionis	vecors, vesanus

4. Etsi *aggregdior, affero, collidere, irritus, immerito* cet. vi assimilationis in schemate proponimus, tamen in editionibus criticis invenies plerumque *adgre-dior, adfero, conlidere, inritus, inmerito*. Duplex enim distingui potest legitima orthographiae species, phonetica scilicet atque etymologica. Ea pera ssimilationem litterarum in locutione pro temporum locorumque adjunctis percrebuit, haec autem in scriptis classicorum auctorum perstitit.

JOSEPHUS JIMÉNEZ DELGADO, C. M. F.

### **Aenigmatum num. 61 et 62 solutiones**

#### **Num. 61**

- 1.<sup>a</sup> Fibella?
- 2.<sup>a</sup> Gyges — Gyes.
- 3.<sup>a</sup> Sarissa — Larissa.

#### **Num. 62**

- 1.<sup>a</sup> Ad-herba (1)
- 2.<sup>a</sup> Pilum. Pila. (2)
- 3.<sup>a</sup> Memnon, Menon. (3)

(1) Micipsa regis filius et Jugurthae, a quo fuit occisus, adoptivus frater.

(2) Auroraë filius.

(3) Dux thessalus, qui comitatus est Cyrum, ad Cunaxam dolo peremptus et Platonis Dialogi nomen.

FR. HILARIUS A P. JESU,  
Carmelita Discalceatus

Methymnae Campi pridie Nonas Novembres 1940.

# Exercitationes Scholares



## Cavete, pueri, ne tricis inretiamini!

1. Pastor, oves baculo reges. — 2. Labor assiduus vires auget, non minuit. — 3. Equos celeres in montes duces. — 4. Cives, regis legi parete. — 5. Librum de senectute leges. — 6. Jure vitas, Marcelle, poetas. — 7. Magnorum ducum vitas legetis. — 8. Muris foramina in muris sunt. — 9. In ora maris vidi nautas: ipsi ad Deum ora dirigeant tempestatibus obruti (*sepultados por las tempestades*): ora tu quoque, amice dilectissime, in crebris (*frecuentes*) vitae periculis.


## Alabanzas que hieren

Belle	con primor	pila	pelota
agere causas	defender las causas	nihil bene cum..	v a pesar de que
carmen, inis	poesia		nada haces bien...
mimus	comedia, entremés teatral	ardelio, onis,	acaparador, entrometido, enhufista.

Declamas belle, causas agis, Attice, belle:  
Historias, carmina belle facis;  
Componis belle mimos, epigrammata belle;  
Bellus grammaticus, bellus es astrologus,  
Et belle cantas et saltas, Attice, belle;  
Bellus es arte lyrae, bellus es arte pilae:  
Nil bene cum facias, facias tamen omnia belle,  
Vis dicam quid sis? Magnus es ardelio.

## ¿Quién pondrá el cascabel al gato?

Mus, muris	ratón	ubicumque	dondequiera que...
habere consilium	celebrar una reunión	tanta... ut	tan grande... que
catus, i	gato	praeditus, a, um	dotado
consilium, ii	resolución	audere	atreverse
campanula, ae	campanilla, cascabel	(n)ullo pacto	de ninguna manera
		adpropinquare	acercarse



Mures habuerunt consilium ut se ab insidiis cati ipsi liberarent; erant enim perterriti. Quidam eorum sapientior ceteris hoc consilium habuit: «Ligetur campanula in collo cati, Tunc eum, ubicumque permanserit sentiemus, ejusque insidias vitabimus». Placuit omnibus consilium; sed deinde quidam eorum minimus interrogat: «Quis vero inter nos erit tanta audacia praeditus ut in collo cati liget campanulam?». Et responderunt mures unus post alium: «Certe non ego auderem in catum pacto ullo adpropinquare».

PALAESTRICUS

# **Per Orbem**

Nullam aut fere nullam, post redivivam PALAESTRAM, curam nobis fuit de hac rubrica. Nec quae vulgarentur, notabilia quidem, deerant; sed tanta erat copia rerum, tanta chartarum inopia ut omnia non caperent PALAESTRAE nostrae tantillae paginae.

Exordiar in hoc fasciculo ea compendiose proferendo quae in novo periodico «*Per lo studio e l'uso del latino*» (fasc. III, p. 211-218) recens proposuerit Dr. Julius Dutoit «Societatis Latinae» Monacensis Moderator.

## **De Lingua Latina in superioribus scholis Germaniae**

Usque ad annum 1933 in Germania res scholares a singulis terris ordinabantur, quae omnes plus minus inter se differabant ea in re. Ex illo anno omnes scholae reguntur a ministerio imperiali et ab eo ineunte anno 1938 nova Regula Scholaris edita est, quae ad omnia genera «mediarum scholarum»<sup>1</sup> totius imperii pertinet. Sed nondum omnino ea Regula potest valere, donec discipuli anno 1937 primae classes ingressi scholas anno 1945. absolverint Itaque primum priorem rei statum tractemus maximam partem etiam nunc valentem.

Debita disciplina est lingua latina in gymnasiis et humanisticis et realibus atque in aliis scholis horum similibus. Scholae exstructoriae, quae dicuntur, quas discipuli nonnisi populari ludo absoluto intrant, in singulis terris inter se differunt in hac re; idem est in scholis, quae proprie dicuntur «superiores». In superioribus scholis realibus latina lingua facultativa docetur in ultimis classibus.

Usque ad annum 1936 totae scholae novem annos completebantur, ex eo anno disciplina in octo annos imminentia est.

Hore hebdomadales erant (resp. sunt) in Bavaria quidem in singulis classibus in gymnasiis humanisticis: 8, 8, 8, 7, 7, 7, 6, 5; in gymnasiis realibus 8, 8, 8, 6, 6, 5, 4, 4.

<sup>1</sup> Italico vocabulo utor, quia voce «scholae superiores» vertendae sunt eae, quae germanice dicuntur «Oberschule».

Scholam, in qua latina lingua legitima disciplina est, frequentare debebant adhuc tantummodo futuri theologi et philologi classici. Sed plurimi reliquorum studiosorum speciali examine probare debent notitiam linguae latinae discipulis sexti ordinis respondentem.

Novus Ordo Scholarum anni 1938 in duabus praecipue rebus afferit mutationem: 1) Latina lingua obligatorie docetur in omnibus puerorum scholis mediis, in aliquot quoque puellarum; 2) Pro multis anterioribus duo resp. tres manent typi scholarum mediarum. Typus generalis utriusque sexui est «schola superior» octo classium; in tribus superioribus cursibus divisio fit in partem linguisticam et apud pueros naturalem-mathematicam, apud puellas oeconomicam. Schola superior exstructiva constat ex sex classibus. In his scholis, quae proprie dicuntur superiores, in duabus primis classibus doceatur lingua anglica, in posterioribus accedit latina obligativum in modum.

Secundus typus est gymnasium pueris modo destinatum; gymnasium puellarum plane excidit. Numeri horarum hebdomadalium linguae latinae sunt in gymnasio: 6, 6, 4, 4, 4, 4, 4, 3; in scholis super. puerorum (pars linguistica): 4, 4, 4, 4, 4; pars nat.-mathem. 4, 4, 4, 2, 2, 2; in schol. sup. exstructivis puerorum 4, 4, 4, 4.

Scholae superiores puellarum non habent disciplinam latinam nisi in tribus ultimis classibus partis linguisticae; ibi si latina lingua est obligatoria, est numerus hor. hebdom. 4, 3, 4; si est facultativa, 3, 4, 3.

Ante hanc mutationem numerus disdipolorum, qui latinam linguam discabant, plerumque in annos crevit. In Bavaria quidem anno 1925-26 erant hoc in numero 41,57 centesimae anno, 1934-35 54,57 centesimae. Anno 1935 in Borussia erant scholae mediae puerorum 1064, in 698 lingua latina docebatur; in Bavaria ex 211 scholis in 107, toto imperio ex 1942 in 1128 lat. l. erat genus discendi obligativum. Multo pauciores erant puerarum scholae, qua lat. l. obligatorie docebant; in Borussia quidem tantummodo 101, in Bavaria 30, toto imperio 171.

Abituris ex media schola eadem fere proponuntur quae antea, scilicet ut litteris vel verbis probent se auctorem latinum non nimis difficilem cito ac bene comprehendere. Versio germanico-latina jam compluribus ex annis nescio quo pacto excidit. — Exercitationes latine loquendi in scholis non ubique habebantur, quamquam priores scholarum regulae eas commendabant. Nunc postulat novus scholarum ordo, ut disciplina alienarum linguarum ex principio oriantur ab aliena lingua ipsa. Verumtamen non est finis disciplinae, ut discipuli latine bene possint loqui; hoc est medium,

non finis. Num id similiter effici possit atque in recentioribus linguis, nondum satis cognitum est. Maximi momenti omnibus temporibus fuit et est in Germania, ut discipuli active, ut ita dicam, disciplinae adsint, id quod Italici «principio attivo» vocant.

Eis, qui linguam latinam docturi sunt, qui antea alia in aliis Germaniae terris via utebantur, nunc idem ordo discendi proponitur. Postquam hi unum annum in academia magistrorum ludorum elementariorum fuerunt,<sup>2</sup> sequuntur tres anni in universitate peragendi, ubi tribus generibus disciplinae inter se similibus (e. gr. praeter linguam latinam alteri linguae et historiae) studere debent. Unum genus scientiae est capitale, duo alia sunt apposita. Satis multa etiam nunc postulantur in academicis examinibus. Accedit unus annus introductiois practicae in scholam.

In latine loquendo adhuc magistri non separatim instituebantur; in aliquot seminariis philologicis modo latine loqui erat in usu. Itaque dubium est, an vere dici non possit majorem magistrorum numerum bene posse latine loqui.

Haec nova omnia recentiora sunt, quam ut ea se probavisse vere possit confirmari; sed speramus illas novas regulas etsi fortasse non profundiora, at certe ampliora reddituras esse studia latina.

Dr. DUTOIT, Monacensis

## AMPURIAS

Pergratum nobis est eruditis lectoribus editionem novae ephemericis nuntiare, quae quasi praeconium erit investigationum archaeologiae, praehistoriae, et ethnographiae in Hispania.

Tota erit in disquisitionibus et investigationibus antiquitatis patriae peragendis: titulus ipse primaevam nostram et florentem vetustatem redolet, illius scl. clarissimae urbis, Emporii (*Ampurias*) nomine, quae velut fons et origo nostri humanioris cultus exstitit.

Ex corde igitur ephemericem fautoresque salutamus, omniaque fausta auspicamur.

<sup>2</sup> Abhinc unum fere annum hoc excidit et omnes quattuor anni nunc peraguntur in universitate.

# Bibliographia

**H. Th. Bossert - W. Zschietzschmann.** — GRECIA Y ROMA: *La civilización clásica griega y romana en láminas*. — Gustavo Gili, 1937. Barcelona.

Hoc volumen velut antiquitatis encyclopaediam complectitur, maximoque usui erit ad antiquitatis classicae cultum cognoscendum et ad ipsos praeclaros auctores in omnibus disciplinarum generibus interpretandos. In eo excellens ac pariter jucundum compendium appetit, quo ad propria studia et archaeologus et philologus et historiae perscriptor uti valeant, omnibusque prostat studiosis, qui originem et fontes nostri hodierni cultus per vestigare velint; nam hic intellegi nequit absque antiqui cultus notione.

Priscorum romanorum et graecorum vita privata et publica ob oculos vivida appetit ope tabularum photographicarum quibus locupletatur opus. Licebit insuper creatricem graecorum mirari operam et ingenium in artibus, romani vero eorum fere sequi vestigia in omnibus, praeter architecturam.

Opus in duas partes divit: in prima synthesis traditur et explicatio cujusque tractatus seu rerum v. gr. quae ad deorum cultum, ad vitam privatam et publicam, referuntur: in altera tabularum photographicarum exquisita exstat copia. Textus, segaxinta pagellis, photographias 320 capit.

En tibi rerum conspectus de quibus agitur: Deorum cultus, theatrum, aedificia, vita familiaris, tumuli, vestes, vita campestris, industria, commercium, ars militaris, imperatores, poëtae, musica, ludi, circus.

Qui vetustatem amant hunc librum p[re]e manibus habere debent.

**M. Rostovtzeff.** — *Historia social y económica del imperio romano*. — 2 tomos. Espasa-Calpe, Madrid, 1937.

Plura edita sunt opera de romanorum imperio, opus tamen deerat quod sub adspectu vitae socialis et oeconomiae totam universe pertractaret rem; quodque praeterea cursus historiae generaliores hujus vitae, perdurante imperio, ostenderet Dr. Rostovtzeff primus exstat

qui summo labore opus magnae quidem molis est aggressus.

Commonstrat cl. auctor toto operis tractu altam, subtilem, operosam, personalem et directam rerum cognitionem, quam ille hausit diutinis studiis, investigationibus et lucubrationibus in monumentis et litterarum artiumve fontibus archaeologicis, papyrologicis, numismaticis.

Prostat in proemio synthesis, totius evolutionis socialis et oeconomiae, ac vis et robur in primis significatur, quibus imperium prima aetate summo splendore viguit ac floruit; rationes deinde quibus ex illo statu et splendore paulatim decidit usque dum romanorum imperium evanuit atque Constantinopolim translatum est.

Opus in duas partes praecipuas dividitur, quarum altera est ipsa rerum expositione, jucunda lectu, studiosis omnibus captu facilis ita ut sine ullo labore liber perlegatur. In altera vero parte plurimis, hisque scitis certe adnotacionibus textum declarat, quaestiones et dubia exponit, argumenta praebet, litterarum monumentis confirmat, libros prefert qui rem tractant, opiniones discutit atque meliore incedit via. At tertia inest pars quae ad imam operis structuram pertinet etiam: eam constituant plurimae tabulae photographicae seu illustrations quae tractu operis hinc inde inveniuntur appositae et textum declarant et ex quibus nobilis vir Rostovtzeff plura colligit, quae in his monumentis quasi latent quaeque ad romanorum vitam cognoscendam plurimum conferunt, nam eam expressam ac vividam in his monumentis artium cultores posteris reliquerunt.

Narrationem in opere continuam invenimus ab extremis rei publicae temporibus usque ad Constantinum Magnum Imperatorem. Cl. auctor ubique eximius appetit historicus rerumque causas summo studio investigat, ex quibus noster hodiernus humanior cultus plurima ediscere valet; p[re]e aliis ultimum praestat caput.

Duo haec volumina sicut et alia plura quae de his rebus perscripsit auctor ponderosa sunt certe opera, quae litterarum et historiae amatores plurimum delectabunt eisque commodo erunt.

JOSEPHUS M.<sup>a</sup> MIR, C. M. F.

*Sidereo flammatus CLARET igne, periclis*

*Objetas audet solus adire vias.*

*Divinis intentus ier securus agebat,*

*Cum ex silva furum surgit iniqua manus.*

*Qui sit, quo ve petat rogitant, mortemque minantur*

*Atram cultellis ni afferat aera ciuis.*

*\*Haud novi — dixit — nummorum ferre crumenas;*

*Nil mortem pavo, quin rogo saepe Deum.*

*Dulce mibi et clarum pro Jesu occumbere morti;*

*Ante tamen licet munus obire meum.*

*Vicino in vico sacris de rebus agenda*

*Contio mi impendet: nonne sinatis eam?*

*Post mibi gaudenti vitam tollitis, amici;*

*Ad vos namque redux munere fundus ero».*

*His dictis et prava latronum peccora mulcet,*

*Impetrat in populum verbaque ferre Dei.*

*Defunctis sacris, turba mirante latronum,*

*Fidum bis se praebet impavidumque virum.*

*\*En, ait, adsum; promissis parere tenemur:*

*Scindite jam fausto nunc latus ense meum.*

*Hoc unum doleo: crimen quo, Numine laeso,*


*Flebitis inferno tempus in omne foco».*

*His penitus verbis affecti corda latrones*

*Horrent injusta tingere cæde manum.*

*Sponte sacerdoti noxas tunc quisque facetur,*

*Atque novum vitae curat inire genus.*



## IMAGUNCULAE CLARETIANAE

LATRONES A SCELERE REVOCAT





in Latinum  
translata a R.  
P. Ludovico  
MARCOS  
C. M. F.  
Villae Rosarii  
in Argentina  
litt. Lat.  
Professore.

#### XLIV

Plumbea semina per aethera dispersa utrique barbaro retrorsum affiguntur; de quibus acerbe queruntur.




#### XLV

Leviter tamen laesi, protinus se fugae pavidi manda-  
verunt, missilibus relictis.  
Aliud namque formidabilius objiciebatur oculis.



#### XLVI

Ecce rhinoceros, immanis  
bellua; a tergo sese offert; ad  
cujus adspectu exiliere capilli Tito. Melampus autem  
latratis celat formidinem.



#### XLVII

«Age, Melampe; rumpe moras. Nihil nisi fuga tanto  
nos eripiet monstro».

